




Nf. 24.



PROGRAMMA SACRVM,  
 QVO  
 ACADEMIAE FRIDERICIANAE  
 PRORECTOR  
 IOACHIMVS LANGIVS,  
 S. S. THEOLOGIAE DOCTOR ATQVE PROF. ORD.  
 VNA CVM  
 CANCELLARIO & PROFESSO-  
 RIBVS RELIQVIS,  
 CIVES ACADEMICOS  
 AD FESTVM NATALITIVM  
 ANNI M DCC XXX  
 SANCTE CELEBRANDVM  
 INVITAT,  
 ET  
 IESVM CHRISTVM *cl.*  
 TAMQVAM  
 FRATREM HOMINVM  
 CONSIDERANDVM PROPONIT.



H A L A E  
 TYPIS ORPHANOTROPHII.





PROVINCIA SACRAM

ACADEMIAE ERIDRICIANAE

PROFESSOR

IOACHIMVS LANGVVS

CANCELLARIO & PROFESSO



CIVIS AC

AD PRIMUM MENTUM

ANNI MDCCLXX

SUBTE CERTANVM

INVTAT

JAN CARLSTYM

FRATREM HOMINVM

ET

LIBERVS

MDCCLXX

INVTAT





*H*uius Dei FRATER HOMINVM factus est  
Hoc est, CIVES CARISSIMI, grande  
illud arcanum, quod cœtus fidelium in  
hymnis suis natalitiis\* passim hoc tem-  
pore celebrat. Digna res est, ad quam  
meditandam animi vires conuertamus;  
tam verò sublimis & a communi sensu  
remota, vt, nisi e reuelatione eam cognosceremus, nulla  
futura esset tam perspicax ratio, quæ vel coniectando eam  
adsequeretur. Quantus quæso inter DEVM & homines hia-  
tus! Eum vero ita explere, vt DEVS cum hominibus, ho-  
mines cum DEO fraternitatis vinculo coniungerentur; id  
nimirum infinitæ sapientiæ opus erat, quod ratio mirari qui-  
dem, sed perscrutari non potest: fides vero, diuino testimo-  
nio suffulta, humili cum adsensu credit.

Duo autem veluti *fulcra* sunt, quibus fraterna, quæ  
Christo nobiscum intercedit, cognatio nititur, *originis* scilicet  
ac *nature* communio.

*Originis* communionem Paulus his verbis prodit: *Et qui  
sanctos reddit, Iesus Christus, & qui sancti redduntur, fideles,  
omnes sunt ab vno. Quam ob causam cum non pudet, eos vocare fra-  
tres. Ebr. II, II. 12. Vtrique nimirum hinc ab Adamo, illinc a  
DEO originem trahunt. Sancti, si ortum naturalem spectes,*

A 2

Ada-

\* Vid. Liber cantionum Glauch. Part. I. num. XXII. v. 7. 9. num. XXVII. v. 1.  
n. XXXV. v. 3. II. n. XL. v. 3. & c.

*Adami* soboles sunt, ex cuius vnus sanguine vniuersum genus hominum propagatum est, Act. XVI, 26. At is etiam, qui sanctos reddit, ideo *hominis filius* toties totiesque in sacris paginis nominatur, quia eandem illam humanam naturam, quam Adamo debemus, vitii tamen omnis expertem, secum vniuit; vnde & Luc. III, 38. *filius Adami* dicitur: quamuis alia prorsus, ac reliqui mortales, ratione genus ab Adamo ducat, non intercedente maris ac feminæ coniunctione, sed ex singulari Spiritus Sancti operatione, qui virginalem vterum fecundauit, conceptumque fœtum consecrauit. Sed ex DEO etiam Christus pariter ac fideles sunt. Ille quidem per æternam generationem, qua Pater vitam suam diuinam omnesque naturæ suæ perfectiones in Filium, tanquam consummatissimam sui imaginem, ita transfudit, vt ea omnia Filius in se ipso habeat, sicut ea Pater in se ipso habet; Hi vero per generationem spiritualem, qua vita, indoles atque imago diuina in ipsos deriuatur: quam multo tamen imperfectius gerunt, quam proprius DEI Filius, in quo tanta resplendescit cum genitore suo similitudo, vt qui ipsum videt, Patrem intueatur. Ioan. XIV, 9.

Cum *originis* communione *natura* quoque societas coniuncta est. Et Christo quidem duas inesse naturas, humanam & diuinam, constat inter omnes; quæ in Sanctis etiam suo modo inueniuntur. Quatenus scilicet pertinent ad Adami familiam, *humana* præditi sunt natura, quæ corpore & anima constat. Eandem naturam mediator etiam adsumsit, omnesque proinde hominis partes habuit, animam Matth. XXVI, 38. & corpus v. 26. nec non vtriusque facultates atque adfectiones: in corpore quidem dimensionem, quæ palpari poterat, Luc. XXIV, 39. ac staturæ incrementum, Luc. II, 40. 52. in anima vero intellectum, suis limitibus circumscriptum Luc. II, 52. Marc. XIII, 32. & voluntatem a diui-

diuina distinctam Matth. XXVI, 39. quin famem etiam expertus est, atque sitim & somnum, mœrorisque ac lætitiæ viciffitudines, & quidquid proprium est humanæ naturæ. Numquam enim in scripturis angelicam naturam sibi socialife, sanctosque illos ac beatos spiritus in fratrum suorum numerum cooptasse legitur; sed Abrahami semen adsumsit, atque ex eius posteris naturam humanam secum iunxit, diuina gloria repletam. Ebr. II, 16. Vti vero fideles per nouam ex DEO generationem *diuina quoque nature*, quatenus eius communio in homines cadit, participes fiunt, ita vt in iis diuinæ imaginis splendor reluceat: sic in Christi etiam humanitate diuinæ naturæ gloria conspicua fuit, quin omnis diuinitatis plenitudo perfecte in ea habitauit; Col. II, 9.

Hisce igitur fundamentis fraternitas Iesu Christi superfructa est, quæ I. certam *similitudinem*, Christo cum fidelibus intercedentem, II. *fraternam Christi indolem* inuoluit.

Christum ad *similitudinem* fidelium accessisse, Paulus testatur Ebr. II, 17. *Proinde debuit per omnia fratribus esse similis*. Inter eos enim, qui communi gaudent & origine & natura, non potest non insignis esse similitudo. Vt vero similis nobis fieret Seruator, non solum diuinæ suæ gloriæ radios quasi ad se recepit, atque a perpetuo suæ maiestatis vsu ad tempus abstinuit; sed eas etiam infirmitates, quibus natura nostra laborat (labem excipe vitiosam) libenter suscepit: postulantibus ita legibus nouæ fraternitatis. Cum hac tamen similitudine bene stare potest salutaris quædam nobisque perutilis *disimilitudo*, qua fit, vt supra fratres suos omnes infinitis modis excellat. Ad hanc Paulus respicit Rom. IIX, 29. quum eum *primogenitum* vocat *inter multos fratres*. Nimirum primogeniti variis olim gaudebant prærogatiuis, tum ratione *cultus* diuini, quem, ante legem rituaalem, in paterna familia dirigebant, tum ratione *domini* in reliquos, qui ipsi

parebant, fratres, tum ratione *hereditatis*, cuius duplam accipiebant portionem, Deut. XXI, 17. Iidem Christo competunt honores. Is iure *sacerdotii* gaudet singulari. Nemini fratrum tam prope, ac ipsi, ad Deum accedere licet, Ier. XXX, 21. quin sacrificia ipsorum spiritualia non, nisi per ipsum oblata, DEO placent, 1 Petr. II, 5. Omnis illi *potestas* in vniuersam Patris familiam demandata est, Matth. XXVIII, 18. unde caput est ecclesiæ suæ, cui qui non obediuerit, is ex familia excludetur. Eius vero in *hereditate* eminentiam quæ mens humana concipere, quæ lingua enarrare potest? Quum enim sit filius Patris vnigenitus, vnicus etiam est, vt olim Isaacus, omnium bonorum paternorum heres. Ebr. 1, 2. Et quamuis in opum suarum societatem pauperes suos fratres admittat; omnes tamen antecellit tum donis Spiritus Sancti, sine mensura acceptis Psal. XLV, 8. tum gloriæ amplitudine, nullis finibus circumscripta.

At enim *fraternam* quoque in ipso deprehendimus *indolem*, quæ facit, vt omnia ab ipso officia, quæ a germano fratre proficisci possunt, liceat exspectare. Tenerrimo ille *amore*, vt in omnes homines, ita præcipue in pios, fertur, quorum miseria commouetur, quorumque doloribus atque infirmitatibus ad *συναγάδων* flectitur. *Ideo enim fratribus similis esse & debuit & voluit, vt misericors fieret. Quoniam enim passus est ipse periclitando, potest periclitantibus subuenire.* Ebr. II, 17. 18. Fratrum vero illum amorem non solum, in statu humili positus, suis ostendit, ad quos porrecta manu, *Ecce mater mea*, inquit, *fratresque mei!* Matth. XII, 49. sed eundem etiam, in gloriæ euectus, retinuit. Ex mortuis enim redux, *Abi, Mariae* inquit, *ad fratres meos*, Ioan. XX, 17. ad fratres scilicet, fraternæ fidei desertores, quos nihilominus complecti pergebat. Quin & in solio gloriæ collocatus non desistit fraterni amoris specimina edere. Amore enim ductus fratribus suis dona distri-



buit, salutem eorum sollicitè curat, quæque eam interuere possunt, dispellit. Inuisit fratres, vti Moses olim confanguineos suos Israelitas, quando ab hostibus opprimuntur. Opem fert luctantibus, erigit lapsos, sanat infirmos, solatio lenit vulneratos, pro ipsis apud Patrem, vti Iosephus pro fratribus apud Pharaonem, intercedit, eosque tandem Patri ficit, & in gloriam introducit. Tanta res est fratrem habere Christum.

Varia autem *fidelium beneficia*, varia itidem eorundem *officia* ex fraterno Christi nomine deriuantur.

Quum enim Christus sit frater fidelium, *ipsi vicissim sunt fratres Christi*. Sic ipse pronuntiat Matth. XII, 50. *Quisquis voluntatem exequitur mei Patris, is meus frater & soror & mater est*. Neque enim erubescit, ipsos vocare fratres, dum ait: *Prædicabo nomen tuum meis fratribus*, Ebr. II, II. 12. Erat certe causa, cur eum eius rei puderet. Est enim summus & æternus DEVS; purus, sanctus, scelerumque vindex, quem amor proinde sui deterrere poterat, quo minus hominibus peccatoribus, & pœna sempiterna dignis, sese iungeret. Verum vti *DEVM non puduit, vocari Deum Abrahami*, Ebr. XI, 16. ita nec DEI filius dedignatus est, in carne manifestari, naturamque induere humanam, quo Patri peccatores reconciliaret, suoque ipsis sanguine pareret salutem, quod nemo fratrum præstare poterat, Psal. XLIX, 8. Quin neque illustri illo die, quo gloriosum tribunal conscendet, erubescet fratrum nomine suos appellare, Matth. XXV, 40. Fuerunt inter Patres, qui homines dixerunt *angelorum fratres natu minores*.\* At quanto maior gloria est, fideles a Christo, angelorum principe, fraternitatis confortio honorari? Quanta dignitas, quod ad hominem Christianum, præunte CLEMENTE ALEXANDRI-

NO

\* Vti constat ex CHRYSOSTOMI homil. in Luc. XV.

NO \* dici possit: εἶδες τὸν ἀδελφόν σου, εἶδες τὸν Θεὸν σου. *Vides fratrem tuum, vides Deum tuum.* Merito beatus MACARIUS\*\* huic adclamat: ἴσθι σου τὴν εὐγένειαν, ὃ ἀνθρώπε, καὶ τὸ ἀξίωμα, πῶς τίμοις εἶ, ἀδελφὸς Χριστοῦ, φίλος βασιλέως. *Agnosce nobilitatem tuam, o homo, tuamque dignitatem, quam pretiosus sis, frater Christi, amicus regis.* Hinc solatium perfrugiumque miseris, qui per diuini fratris merita non nisi clementiam sperare possunt. Hinc fiducia in ipso die iudicii. Non est enim, quod metuant fratres iudicem fratrem, pro ipsis olim condemnatum iniuste, ne vnquam iuste condemnari possint. Vnde ex mente veterum Iudæorum angeli olim in die iudicii Israelitis adclabunt: *Nolite Deum iudicem reformidare: nam agnatus vester est & frater.*\*\*\*

Quum Christus sit frater fidelium, *neesse est, Deum esse Patrem ipsorum, ipsos esse Dei filios.* Germani enim fratres vnum patrem agnoscunt. Hinc fratribus suis nuntiare iubet: *Adiucendo ad Patrem meum & Patrem vestrum.* Ioan. XX, 17. Pater igitur Christi est etiam Pater discipulorum ipsius. Equidem diverso id sensu fieri probe sciunt, Christumque natura esse Dei filium, se gratia adoptionis, libenter fatentur. At enim id etiam sciunt, licere sibi, per merita redemptoris, ad Deum accedere, sicut filiis ad patrem indulgentem. Eo liberius vero confidentiusque suas ad Patrem cælestem deferunt preces, quia norunt, se fratre apud ipsum vti intercessore, quem Pater nunquam non exaudit. *Quoties dicunt: Pater noster, toties Christo dicunt, frater noster.* Ergo, qui Patrem Deum & fratrem habet Christum, non timeat repulsam.\*\*\*

Quum

\* Strom. lib. I, p. 374. lib. II. p. 466. ed. POTTERI.

\*\* Homil. XXVII. §. I. coll. homil. XVI. §. 8. vbi christianos vocat ἀδελφὸς Χριστοῦ & Φωτεινός, illustres fratres Christi.

\*\*\* Locum ex Midrasch Tillim super Psal. CXVIII, 7. exhibet RAYMUN- DVS MARTINVS in pugione fidei, part. III. p. 717.

\*\*\*\* Sunt verba AVGVSTINI Psal. XLVIII, Tom. IV. ed. Paris, 1691. p. 429.

Quum Christus sit frater fidelium, *fideles sunt heredes DEI, Christi autem coheredes, Rom. VIII, 17.* Qui enim vnum habent patrem, merito etiam eandem adeunt hereditatem. Absit, vt fratri primogenito inuideamus amplio- rem hereditatis portionem. Vti enim sanctitate excellit; vti perpeffionum grauitate reliquos omnes vincit: ita merito quoque primas in gloria tenet. Interim nobis gra- tulemur, nos esse heredes Dei, Deumque ipsum nostram esse portionem. Deum enim possidentibus, quid est, quod de- esse possit?

Ceterum quum tot aucti simus per Christi fraternita- tem beneficiis; non detrectemus *officia*, ad quæ tanti hono- ris consortio obligamur.

Quum scilicet Christus frater noster factus sit, *par est, vt fraterno ipsum complectamur amore, fraternamque cum ipso con- trahamus familiaritatem.* Nihil ille intermisit, quod requiri poterat, ad fiduciam erga se excitandam. Fecit prius, quod a nobis postulat, *1 Ioan. III, 16.* animam pro fratribus posuit. O amorem, amore dignum! Amemus eum, quo- niam prior ipse nos amauit. Immo vero non amemus so- lum, sed ita eius amore capiamur, vt sine ipso viuere ne- queamus. *Vtinam*, cum illa sponsa exclamemus, *esses mihi quasi frater, quem ego nacta foris, dissuauiarer, Cant. VIII, 1.* hoc est, *Vtinam ita descendere velis in meam infirmitatem, vt tecum familiarissime, non velut noua nupta cum sponso, sed vt soror cum fratre, conuersari possim.*

Quum Christus frater noster factus sit, *par est, vt animi nostri habitum ad eius exemplum componamus.* Quam enim suaue, quamque iucundum est, si fratres concorditer viuant! *Psal. CXXXIII, 1.* Frater noster mitis est & animo submissus; eandem igitur nos etiam mentem induamus. Ille cæle- stia sapit; absit, vt in luto rerum terrestrium volutemur.

B .XIXXX . . . . . Ille,

Ille, *cibus meus est*, inquit, *eius voluntatem exequi, qui me misit, eiusque opus absoluere*, Ioan. IV, 34. eodem igitur cibo animum nostrum pascamus. Breuiter, quascumque in fratre nostro eminere conspiciamus virtutes, eas vt exprimamus, omni studio laboremus; quo imaginis eius *σύμμορφος* siue confimiles euadamus. Rom. VIII, 29. vti olim in gloria splendore, ita hic in studio puritatis. Enitamur, ne tantum fratrem morum dissimilitudine ignominia afficiamus.

Quum Christus frater noster factus sit, *par est, vt fraterno ac sincero amore nos inuicem prosequamur*. Nihil communius erat priscis christianis fratrum nomine. Quum enim scirent, se ab vno *Patre* esse regenitos per verbum & laucrum nouæ natiuitatis; quum vnā *matrem* venerarentur ecclesiam; quum vno *cibo* spiritali nutrirentur; quum eiusdem *fidei* vinculo iungerentur; quum eandem denique expectarent *hereditatem*: non putabant commodius inueniri posse nomen, ad tantam animorum coniunctionem designandam, quam nomen fratrum, ex Christi & apostolorum ore acceptum. Tam sanctum vero nomen sanctis etiam moribus ornabant. *φιλαδέλφια* eorum tanta erat, vt pagani homines, eius admiratione perculsi, exclamarent, TERTULLIANO \* teste: *Vide, vt inuicem se diligant!* Non vero ille amor solo animorum adfectu continebatur; sed per mutuū auxilium, per liberalitatem erga fratres pauperes, per fraternas correptiones atque admonitiones, per communionem precum, per *συμπάθειαν* & dolorum societatem, per concordiam summam, aliaque documenta, sese prodebat. Hos igitur genuinos Christi fratres imitemur, si idem nomen, honorificum sane & gloriosum, tueri velimus.

Ha-

---

\* Apologet, XXXIX.

Habetis meditando agendique materiam, O NOSTRI, qui per nouam ex DEO generationem diuinæ familiæ adscripti estis. Ioannes olim ad suos: *Videte*, inquebat, *quanto nos persecutus sit amore Pater, ut Dei filii vocemur*; I Epist. III, 1. Nos non minori iure, *Videte*, exclamamus, *quanto nos persecutus sit amore Pater, ut Filii fratres vocemur*. Agite, celebrate Patrem cælestem, qui suum vobis Filium donauit, qui per fidem, in vobis accensam, in suorum vos filiorum numerum cooptauit, qui denique fratribus Iesu Christi vos adiunxit. Sed & Filii celebrate amorem, qui non solum naturam vestram in arctissimum suæ diuinitatis consortium adsciuit, sanguinisque vinculo sibi sociauit; sed qui vos etiam diuinæ naturæ participes, ex inimicis fratres, ex hostibus coheredes fecit. Perpendite *beneficia*, quæ ex hac fraternitate in vos redundant. Dauides olim dixisse perhibetur: *An parui ducitis, Regis generum fieri hominem adeo tenuem atque abiectum?* I Sam. XVIII, 23. Vos vero an parui ducitis, Dei filios, Regis supremi fratres & vtriusque heredes fieri homines tam tenues, tamque abiectos? Stupete ad tanti honoris excellentiam, dumque his beneficiis fruimini, agite, eo alacrius vos accingite ad præstanda *officia*, quæ tantus amor postulat. Insinuate vos in fratris vestri amicitiam, arctissimæque familiaritatis vinculis vos ipsi adstringite. Commitrite eius fidei totam salutis vestræ causam, inqueaterno eius amore omnem spem atque fiduciam collocate. Imitamini fratris vestri exemplum, & quos ille dignatus est in fratrum suorum numerum admittere, sincere amate. His quæso exercitiis sanctos hosce dies transigatis.

Sed o miseros atque infelices! quos alia longe cognatio constrictos tenet. Quid inde in vos vtilitatis redundat, quod Dei Filius per naturæ vestræ adsumptionem frater

ster factus est, si mali dæmonis filii, Stygiique draconis fratres, mundi denique ac vitiorum mancipia manere velitis? Agite, erigite animum ad veræ libertatis desiderium. Renunciate scelestis fraternitatibus, inter pocula contractis, & reliquis nominis christiani maculis, quæ vos a Christi amicitia excludunt. Filius DEI adparuit, vt diaboli opera aboleret. Factus est filius hominis, hominumque frater, vt vos ipsius fratres Deique filii euaderetis. Aduoluite vos eius pedibus, ac seriiis precibus fratrum eius pectus fatigate. Mitis est atque misericors erga penitentes, promptusque ad ferendam opem iis, qui, eiu-ratis criminibus, ad ipsius sinum, perterrefacti iræ diuinæ magnitudine, confugiunt. Nolite spernere fratris vocem, a vitiorum sordibus auocantem, ne, sumta olim iudicis persona, amoris sui contemptum in nobis vindicet. Valet.

In academia Fridericiana, d. XXIV. Dec.  
M DCC XXX.



Ja 1586

ULB Halle

3

001 508 687




Stw

VD 78

VD 78







86

PROGRAMM  
 Q  
 ACADEMIAE F  
 PRORI  
 IOACHIMVS  
 S. S. THEOLOGIAE DOC  
 VNA  
 CANCELLARIO  
 RIBVS RI  
 CIVES ACA  
 AD FESTVM  
 ANNI M  
 SANCTE CE  
 INVI  
 E  
 IESVM CA  
 TAM  
 FRATREM  
 CONSIDERAND  
 H A  
 TYPIS ORPH



cl.

